Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



comprobatum est: Neque etiam postquam sacra Valentini exuvia Majis sæpe portata sunt, in eodem primæ sepulturæ quietis suæ loco aut cultum recipere, aut ~~beneficia dist~~ largiri beneficia cessavit. Seculo X. Rabotlus Siblingus, de quo c. VI. IX Add. 82, in monte S. Georgii ad Oenum, imaginem Virginæ Matris sua in cella coluit, exinde multis beneficiis conspicam, ut Gumpenbergius scribit. (Seculo XII jam floruit Mimidia Cuca extra Brixinam, eandem beatissimam Virginem propitiam fuisse, et fundandi celeberrimi Monasterii, vocandique Novamcellam ad Mariæ gratiam, D. Hartmanno occasionem dedisse, tradunt. Vid. Franc. Brandisius Tirol. Ehrenkr.) Seculo ~~sequente~~ XIII ~~frequentior~~ ide longe maxime effloruit in Oenivalle superiore thaumaturga benignitas sanctissimi Præcursoris Domini Joannis Baptistæ, quæ de re pluribus paulo infra agemus.

31) Gajus Chron. Stamf. lat. l. 1. c. 1: Nunc porro silentio prætereundum non est, quod luctuosa Conradini mors quasi causa seu potius occasio fuit, ut nostrum Stambsense Monasterium constitueretur; ajunt enim, Elisabetham Conradini matrem, audita calamitosa nimis filii cæde, votose obstrinxisse Cœnobium ædificandi. Atqui cum jam nupta esset Meinhardo Comiti Tyrolensi, maritum suum et consciam, et cooperatorem voti sui habere voluit. Inde unanimi postmodum consilio (indubie ex eius instinctu, cuius æterna sapientia et prudentia disponuntur omnia) pro cæteris locum Stambs delegerunt et Ordinis Cisterciensis Monasterium fundare decreverunt. Leberforgus Chron. Stamf. ad an. 1269: Ruinis tam miserabilis stragis (facta in prælio) Principumque tam illustrium captionis et detentionis cum fama vbique percrebuisset, nullus tamen nec in Italia neque in Germania Principum inveniebatur qui vindicaret, aut adolescentes Principes vi aut armis aut alio quovis modo, si non in regnum restituere saltem in pristinam libertatem vendicare anderet. D. Elisabetha igitur sæpedicti Conradini mater et vxor Meinhardi Comitis Tyrolis etc. mulier vere fortis materno amore teneritudinem fœmineam superante facinus audax est aggressa, vtpote cum nec ipsa nec alius quisquam miseris Principibus suaurrere armata manu posset, hoc illa deauratis effiere tentavit, atque ita instructa, per longum, asperum, plurimisque periculis refertum iter hostem est aggressa. Narrat dein e Bzovio, quæ Add. 29 attuli; dein pergit: Hæc suprascripta idcirco alignantulum altius repetenda censui, quia licet non admodum congrua et ad historiam præsentem pertinere videantur, pos-

/Seculo VIII